



Nd. 10

11

QVAESTIONVM  
SCHOLASTICARVM  
PROBLEMA SECUNDVM  
QVO  
DE MORIBVS FERARVM  
EXPONITVR  
ET  
**ACTVS ORATORIVS**  
A. D. VII. JANVAR. CLOCCCLVII.  
IN AUDITORIO  
CLASSIS PRIMAE GYMNAS. HAL.  
CELEBRANDVS  
INDICITVR  
A  
**M. IOANNE PETRO MILLER**  
GYMNAS. REC T.



HALAE MAGDEB.  
FORMIS GEBÄVERIANIS.

СЛОВАРЬ  
СЛОВАСТИЧЕСКИЙ  
СЛОВАСТИЧЕСКИЙ

СЛОВАСТИЧЕСКИЙ

СЛОВАСТИЧЕСКИЙ  
СЛОВАСТИЧЕСКИЙ  
СЛОВАСТИЧЕСКИЙ  
СЛОВАСТИЧЕСКИЙ

СЛОВАСТИЧЕСКИЙ

СЛОВАСТИЧЕСКИЙ



xplicatuero per partes, quod superiori anno cum cor-  
datis beneque iuuenili aetati cupientibus communi-  
cavimus consilium, visum est, in silvas adolescentes  
nostros deducere, spirantia haec illius summae,  
quaes in Deo est, rationis et prouidentiae simula-  
cra attentius paullo spectatum. Quid enim? Re-  
gibus non indignum habetur, feras venari. Quanto magis regia vo-  
luptas, cum purpurato illo Psalte diuinae laudes ex bestiarum republi-  
ca petere? Sed eamus igitur paullulum iuuenies, cum PLINIO SE-  
CVNDO \*), ad retia vna cum stilo et pugillaribus, meditantes aliquid  
enotatantesque, vt, si manus vacuas, plena tamen non tam ceras, sed  
potius mentes, admiratione et amore Dei ex silvis reportemus.  
Ducti id faciemus auctoritate de antiquis quidem Aristotelis, Aelianii,  
Plinii, de recentioribus Conr. Gesneri, Vlyss. Aldrovandi, Guil. Pi-  
sonis, Ge. Markgrafii, Caroli Clusi, Franc. Hernandae, Io. de Laet,  
Io. Euseb. Nieremberg, Bustamantini, Io. Johnstoni. Sam. Bocharti,  
Gualt. Charletoni, Franc. Willoughby, Guil. Rondeletii, Thomae Mou-  
feti, Ed. Wottoni, Mart. Listeri, Io. Raji, Hans Sloane, Swammer-  
dammii, Goedartii; Sebae, Kleinii, Linnaei et multorum aliorum.

DE

\*) Epist. I. I p. 4 ed. ill. Gesn. p. 9.

Progr. III.

A 2

## D E L E O N E.

**V**isum autem est, de Leone primo loco agere \*), quem natura reliquarum feraum quasi quemdam regem esse voluit, tributa ipsis et corporis maiestate singulari, et animi, quanta cadere in beluam potest, magnitudine, ex qua magnanimi et generosi vocantur, qui inter homines excelsa et elata super fortunae casus mente pericula sibi obiecta spernunt, atque ea perficiunt, quae non item cadunt in plures. In quo virtutis splendor esse solet maximus. Leones non quaeque tellus edit, sed eae tantum regiones, quae solis aestibus magis quam ceterae patent, ut Massylia, Marmarica, Caspia, Libya, Getulia, Asiae et Africæ prouinciae. Et hae etiam terræ rarius leones, quam domestica animalia producunt, quae scimus, uno anno in greges iterum augeri, quamquam superiori anno ingens vis mactata ad quotidianum viatum et consumpta fuerit. Qua in re prouidam summi numinis curam debemus venerari, quae pecudum ybique locorum magnam voluit esse copiam, beluarum paruam admodum, et in incultis tantum terris, ut ipsa pecorum varietate doceret potentiae suae et sapientiae magnitudinem infinitam. Figura leones ad feles accedunt, magnitudine corporum et robore vel boues superant. Flammantes et truces oculi: Rigens collum, iubisque superbiens, pectus latum et robustum, crura neruosa, venter medius gracilis; gressus mox lensus et grauis, mox citatus, color denique fulvus. De moribus mira narrant veteres, quorum quaedam nostra aetas confirmauit, reliqua, ytpote fabulis nihil meliora, abiiciens. Mirum in primis Philosophum, Aristotelem fabulis tantum tribuisse; ex quo tamen Plinius sua summis bona fide. Nobilioris vero reliquarum ferarum indolis hoc maxime laudant, quod haud facile obuios laedat, nisi aut iniuria grauiori lacesitus, aut latrantis rabie ventris incitatus: inerme vero mulierum atque infantum genus rarius aggredi Herculeum animal, constans fama est. Numquam tergum vertit fugiens, sed sensim pededentimque insectantium oculis sese subducit, cum fremitu contra intuens \*\*). Quantumcunque etiam periculum sit, quamlibet magna canum et venantium urgente vi, contemtim restitansque.

\* ) ARISTOTELES partim ex membrorum structura, partim ex moribus animalia partitur, longusque est περὶ ζώων τετραγλος I. I c. 1 opp. T. I p. 761 ed. du Val. Lutet. Parisi. 1629.

\*\*) AELIANVS περὶ ζώων ἴδιότητος I. IV c. 34 p. m. 222.

que cedit in campis et ubi spectari potest: item, ubi virgulta filias que penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudinem loco. <sup>\*)</sup> Dam sequitur, insilit saltu, quo in fuga non vitetur. Vulneratus, observatione mira percussorem nouit et in quantalibet multitudine appetit. Eum vero, qui telum miserit, sed tamen non vulnerauerit, correptum rotatumque sternit, nec tamen vulnerat <sup>\*\*)</sup>. Hic vero heros, quem nulla telorum vis, nullus venatorum impetus percellit, facis ardentis luce terreri mirifice fertur. Nec habent barbari in America aliud armorum genus, quo dormientes nocturno tempore terribilem hunc hostem a tuguriolis suis propellant quam ignem, quo illa cingunt <sup>\*\*\*)</sup>. Tantum vero abest, ut galli cantu, quod veteres tradebant tantum non omnes, moueatur; ut potius CAMERA RIVS testetur, se suis oculis vidisse in aula Bauarici Septemuirii unum ex leonibus miris sese saltibus in vicinam domui arcem demittentem, gallumque cum gallinarum grege audiissime deuorantem <sup>\*\*\*\*)</sup>. Sed hoc nihil sit: id potius miremur, tantam feram, caedibus et rapinis adsuetam, humana tandem sollertia mansuescere, illustri arguento, quantam viribus corporis antecellant ingenii artes, ut adeo injurii effemus in diuinam prouidentiam, si robur suum animalibus inuidieremus, et, qua illis superiores sumus, mentis virtute vti nollemus. Memoriae autem proditum est, adeo mitescere leonum feritatem disciplina et leniori tractatione (duriorem enim aequo moleste ferunt, atque ferreas aut caueas aut catenas), ut secure Onomarchus, Catanae tyrannus conuictores habuerit, pepercitque olim misus ex carcere incuria custodis, leo, Florentiae viduae filio, quod Spondanus in annalibus refert. Ioanni II. Lusitaniae Regi unus instar canis perpetuus comes fuisse dicitur. Romae vero primus ad currum iunxit M. Antonius, et quidem ciuili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis. Et leoninam quidem pugnam Romae princeps dedit Q. Scaeuola, post etiam Sylla, Pompeius M. et Caesar. Capere eos ardui quandam erat operis, foveis maxime. Claudi vero principatu casus docuit, sago contra ingruentis ferae impetum obiecto: ita ut non repugnans facile deuinciatur. Quae

A 3

quidem

<sup>\*)</sup> PLIN. H. N. I. VIII c. 16 p. m. 358 ed. Dalechamp. HELBIG. in Ephemer. Naturae Curios. Germ. Dec. I An. IX p. 453 supplicibus omnino parcere dicuntur leones: quod de se narravit SEBASTIANVS ille Rex infelicissimus Lusitanorum et IVLIVS CAMILLVS in l'idea del teatro.

<sup>\*\*) JEAN BAPTISTE TAVERNIER dans ses voyages.</sup>

<sup>\*\*\*)</sup> IO. JOHNSTON Theatr. Anim. T. I p. 113 a. cum imagin. Merianis.

quidem omnia Plinii fide narramus. Apertis oculis dormire caudamque motitantem, vigilias simulare, veteribus creditum est olim \*). Vnum, facere non possum, quin addam generofae/indolis in leone argumentum. Narrat Aelianus, seruum Romani senatoris, profugum et in desertissimam Africae regionem metu delatum, impatiens diurni Solis ardorum speluncam subiisse, quae leonis cubile erat. Qui cum ex venatione reuerteretur ex pede vno laborans, blande adipiscere trepidantem hominem ipsique pedem porrigit. Euellit miser, ista ferae mira mansuetudine confirmatus spinam praeacutam. Quo facto, Leo tamquam hospitem habebat et quibus poterat, carnibus recreabat. Tres annos in leonino hoc contubernio consumserat Androclus; (hoc enim ei nomen fuisse accepimus), postea vero beluinæ vitae pertaefus, deserto socio, fortunæ sese commitebat, et natalis soli amore ductus in Latium tendebat. Verum eheu, quam stulta hominum, securam obscuritatem spernentium, confilia! Deprehensus, nescio quo loco, Romani vincitus abducitur, ferisque bestiis dilaniandus obiicitur. Quas inter maximo miselli bono leo is, quem diximus, hospes erat, qui, dum veterem contubernalem mox agnosceret, nulla vi compelli potuit, ut dentem iniiceret, sed potius, quo minus socii hominem laederent, fortissime obstitit pardalemque in illum irruentem dilaniauit. Re mira a Quiritibus cognita, vterque libertate est donatus, Androclus et leo \*\*). Ceterum in sacra historia celebres sunt triumuri, qui viribus corporis et ingenii quadam sollertia leonum victores exstiterunt, Simson, Daudes atque Benaia, filii Ioiadae. In reliquarum vero gentium monumentis leonum victores feruntur Hercules, Alexander M. monstrorum ille, hic gentium fere omnium dominator, Lysimachus, Constantinus M. et pauci alii, in quibus hoc magnarum rerum portentum est habitum. Leonum praeterea simulacula in heroum monumentis constituta, et ab iis etiam prouerbia varia ducta sunt, ex quorum genere haec fere sunt: *Leonem ex vnguis aestimare: mortuo leoni vel lepores insulant: leonem larua territas: leonem stimulas: leonis exuuum induere: leo prius, nunc leporem agit.*

## DE VVLPE.

**P**lacet, herois lateri adiungere animalium versutissimum, quod, vt illud virtutem, ita hoc mentem beluinæ reipubl. recte vocaueris.

\* ) Negat vero, qui alia, D. G. E. WOLFARTH, Med. Castell, aul. in Diff. de Leone.

\*\*) Recent. ex. habet NIEREMBERG. Hist. Nat. I. IX c. 25.

ris. De cuius figura nihil est, vt singulatim exponamus. Est enim inuitis rusticis fere domesticum. Ergo paucula de eximia calliditate, qua facile princeps est inter siluarum incolas; quamquam difficile sit, omnes animalis artes et machinationes enumerare. Quod si hiberno tempore flumen, glacie testum, transmittendum sit, aure apposita crassitatem illius coniectare Plinio dicitur \*). Ad lustrum plures vno aditus struit, vt et canes fallat, et facilem exitum, hac vel illa parte hostium corona cinctus, inueniat. Pulicum morsibus ultra patientiam vexata vulpecula, in promtu habet consilium, quo se importuno hoc hospitum genere liberet. In amnem sensim sensimque profundius descendit, foeni manipulum ore gestans. Metu mortis in vndis, defiliunt pulices repente in istud asylum: quod dum sentit vulpecula, vno saltu in ripam, et proiecto manipulo, aufugit. Leporina carne supra quam dici potest, deleatur. Igitur, quo suauius sit conuiuum, primum ludit cum iis familiarissime: fecuros mox et gesticulationibus ipsius lepidissimis laetantes effusus, iugulat quoscunque pedum pernicietas non eripit ex fauibus perfidi amici. Ingenium natura tortuorum, multiplex, varium et ad mille artes natum, matris disciplina mature acuit. Iunio enim mense solet catulis recens natas capreolas siluestres, lepores, gallinas et alias lauiores dapes, viuas adferre, in quibus iugulandis se a teneris exerceant \*\*). Nullum vero iucundius spectaculum rusticis, in quorum gallinario tristissimas mox strages editurae sunt, praebent, quam si sereno caelo in pratis miris saltationibus cicadas volitantesque locustas insectantur. Inter quae tirocinia sensim adolescentes vulpeculae eam sibi parant cum ingenii, tum etiam corporis agilitatem, vt facile superare alias animantes queant. Quod vix sentit mater, dum in aliam regionem eas desert, resque sibi suas habere iubet, satis se suo officio fecisse existimans, quod omnia victus quaerendi artificia edocuerit. De tritis Latinorum sermone a vulpe ductis formulis has dabimus: *vulpes non iterum capitur laqueo: vulpes pilum mutat non mores: vulpinapellis assuenda, si leonina non sufficit: vulpinari cum vulpe.*

### D.E CERVO.

Ceruum nescio quomodo omnia commendent. Excelsum caput, ramosis ornatum cornibus, crurum tenuitas, pedum in cursu in-

credi-

\*) Lib. VIII c. 28.

\*\*) HANS FR. V. FLEMMING S vollk. deutscher Iager p. 378 et 381. Quem in seqq. maxime sumus sequenti, testem oculatum scilicet.

credibilis pernitas, ipsaque illa timiditas, quae innoxium illius oc-  
cursum peregrinantibus per silvas facit. Sunt vero in hoc genere  
etiam alia, quae ut speciem habent prudentiae, ita testimonia sunt cla-  
ra, quam benigne etiam animantium vitae prospectum velit vniuersi-  
tatis parens Deus. Qua quidem cogitatione ad magnas spes de salute  
nostra excitari nos, ipso Seruatore monitore, par est. Matris mi-  
ra praedicatur in fouendo foetu cura, quem in pratis itemque ad vias  
publicas emititur, quod ipsa lux, quam fugiunt rapacia animalia, se-  
curitatem pollicetur, hominum vero fortalis in tenellos humanitatem  
exspectat. Hinnulos a partu recentes in silvas deducunt, quasi ad  
designatum a natura domicilium. Tutantur autem imbelli genus aduerfus  
fortiorum impetus pedum calcitratione. Ut primum adolescent, la-  
teri materno affixi, eamdem et nutricem et magistrum habent, tutissi-  
ma quaeque fuga loca fideler edocentem, item herbarum, quibus  
pascantur, natale cuiusque solum perite monstrantem. Iam, vbi iu-  
uenis ceruus in hac disciplina tantum se profecisse sentit, vt et pedi-  
bus et ingenio fidere possit, ipse silvas pererrat, leuante maxima  
sui cura matrem, quo vires illa iterum colligat, quoque liberius, de-  
functa proliis educandae molestiis, curis vacua in pastu pinguecat.  
Quae reursa ad suum genus, familiaritate et coniuictu recreatur. So-  
lent enim cerui, maxime ingruentibus brumalibus hibernisque frigo-  
ribus, congregari, caloris haud dubie causa excitandi. Tum vero  
vnum ex altero caput erigere et circumquaque prospectare ferunt,  
ne incautis superueniat venantum hostilis exercitus. Caelo crebri-  
s ignibus micante et fragoribus tonante silvas deserunt, liberum cam-  
pum petentes, arcana quadam fulminis, quod crebrius altas quercus  
tangit, quam humilia pratorum virgulta, praesensione. Dum insi-  
diarum aliquid suboleat ferae, secundo fertur, quantacunque potest,  
velocitate, vento, ne vestigia iter prodant. Sanitatis tutandae mi-  
ra in ceruorum gente ars, vt hominibus exemplo fuerit ista simplex  
curandi prauos humores ratio. Ita, vt hoc vtar, ne tetricus et ful-  
phureis exhalationibus infesta nebula sanguinem corruptat, formica-  
rum aceruum eruit, quarum nidore, spiritum nostri vocant, qui vi-  
talis et subtilissimus praedicatur, sternutatio excitatur, pectus omni,  
ex aere collecta peste illico purgans. Vernum tamen tempus in-  
primis ceruinam exerceat patientiam. Virulentum pus ex omnibus  
venis erumpens, muscas quasi ad epula in cutem miselli vocat, ex  
quarum seminibus vermium genus nascitur, quod crudelius in cerui  
corpus

corpus faecit, et, nisi coruorum cohors ad auxilia aduolaret, necem, maciem saltim, animali, in Principum voluptatem nato, adferret. Tam certum est, vt hoc obiter moneam, animantibus omnibus, a pediculo vsque ad hominem, suum cuique domesticum malum adhaerere. Neque enim vllus scarabaeus est tam pusillus, quem non contemtius aliquod animalculum depascat. Quod in animalibus tanto excusatiis fit, quam ab hominibus in homine, quod illa secundum naturam, hi contra illam alius alium infestentur. Annorum, quos viuendo explet, numerum ceruis tantum tribuunt cum veteres, tum nostri, paene vt fidem excedat. Plinius post C annos captos aliquos, ab Asiae olim viatore, Alexandro M. torquibus aureis ornatos, memorat. Quod herbarum virtutibus et diaetae tribuunt naturae consulti. Ceruabus longioris aetatis voluptatem prolis cura anniuersaria aufert. Quod proprium habet cum bene merentibus omnibus, quorum quisque aliis inferiendo consumitur. Mitiores et domesticos mores facile induunt, si a teneris ex saltibus in aedes diuitum transferuntur. Vna cum grege ad pastum exeunt, vna reuertuntur. Equorum etiam ministeria obeunt. Iucundum in cursus certamine pernicitatis spectaculum praebuit A. C. MDXLVIII Comitis Stolbergensis ceruus in Augustanis comitiis, anteuertern equorum barbarorum acermiss et generosissimus. Cornua ceterum quotannis mutant nouis, et item pilos, quod omnibus siluestribus feris sub finem hiemis commune. Fluuios longo et recto ordine, imponentes caput vnuquisque alterius tergo, tranare Plinio dicuntur.

## DE VRSO.

**V**rsorum in septentrionalibus terris atque in siluestribus regionibus maior copia: in Germania rario est, ex qua quippe cultus hominum et frequentia expulit. Matris in catulis fouendis poliendisque tanta cura, vt proximos nouem a partu dies numquam eos deserat. Paullo post vietus parandi artes docet, adferens ex venatu ad lustrum viua animalia, quae ipsis inspectantibus infectatur, euasura corripit, iterum dimitit, recipit, enecat tandem. Quae artificia, natura ipsa incitante, imitaturi filii dociles, musculos capiunt, immo vero per arbores scandunt, auiculas implumes surrepturi, infausto perfaepe experimento. Nihil enim minus insolens, quam videre tironem ex arbore praecipitem in tergum volui; mox tamen idem periculum ite-

Progr. III.

B

rum

rum mascule adeuntem. Inter haec minora artis specimina cum lacer-tis torisque animus ita crescit, ut audeant lupos praedam faucibus mordicus tenentes persequi timidisque eripere. In prima iuuentute, dum aetas maturior et consuetudo parentum siluestris, feritatem natu-ram nondum firmauit, mira docilitas. Saltant ad raukos Polonici magistri tibiae strepitus, in circulum ex capite voluuntur, pectunt herile caput aliisque rudioribus artificiis macrum animal magistro famelico viuum parat. Interim in siluis socii libere pererrant, aut greges circumdeunt, ouilem carnem captantes \*). Neque tamen, cum hoc nulli seruiente genere, ita praeclare agitur, omni ut malo careat. Ex oculis maxime laborant. In promtu tamen est medicina, crassioris sanguinis correstrix, venae sectio. Itane chirurgum inter feras quaeres? Scilicet. Apum silvestrium, vesparumque cellas eruunt, hospi-tesque earum ita irritant, ut totum os narium cruento diffluere videatur. Aliud remedium purgandi praui humoris formicarum pastum parare, Plinius auctor est \*\*). Hiemem totam in lustro, molli musco omni ex parte obduco, ex pedibus anterioribus, nescio quid, fugentes, securi inter Boreae, gelidam spargentis ab axe niuem, continua mur-mura delitescunt.

### LEPORES.

**T**imidum et festiuum animal, idemque nullo robore, nullis corni-bus munitum, at tanta praeditum pedum leuitate, ut cursu ven-tos fere aequare videatur. Cubile saepius pro caeli temperie mutant. Hieme impendente in locis editis apricantur: nocturnis vero agitati frigoribus virgulta et densiora fruticeta quaerunt. Tempore pluvio silvas deserunt, stillicidii impatientes. Sed nimis superfluit maiora leporini ingenii documenta. Vrgentibus a tergo canibus aut in mon-tes incredibili volubilitate sursum feruntur, aut in planicie agitati flexuoso cursu infectantem hostem fatigant: iam ad latera excusiones si-mulantes, iam subsistentes paullulum, aures arrigentes, caput lepide motitantes, iam recta citius anteuerendo captantibus, risus venantium excitant. Scilicet, quod CALENO \*\*\* ) iam notatum est: "vni ani-malium cuique illud corpus affabre conformauit prouidens cuiusque saluti natura, quod viribus animaeque par sit. Equo, nobilioris in-dolis

\*) Nudo corpore ostendo fugiunt boreales ursi PONTOPP. *nat. Hist. Norwag.*

Pr. II p. 28. Hafn. 1753. vers. germ.

\*\*) L. VII. 33.

\*\*\*) De usu partium I. I c., 2.

dolis iumento, erectius collum, alta frons, calces durae, effusae per colla et decorae iubae. Leoni rapto viuere sueto, dentes et vngues tenaces. Boui cornua. Ceruo et lepori ad pugnam ineptis, pedum celeritas. Homini, cuius omnis vis in ingenio posita est, manus artium variarum instrumenta,. Sed vnde digressi sumus, ad lepores reuertamur. In quorum incredibili fecunditate eamdem supremi numinis curam admirari par est, quae et hominibus, qui ipsorum carne delectantur, voluit de viatu prospicere, et interitum eius generis animalium impeditre, quod ipsum, vt est in fabulis, quondam in conuentu de miseria et fortuna infelice vitae suae conquestrum est, quod et a bestiis illa et ab hominibus impugnaretur. Addamus illi ex Galeno, aliud locum Cicerone dignum \*): "Quid loquar, quanta ratio in bestiis ad perpetuam conseruationem earum generis appareat. Nam primum, aliae mares, aliae feminae sunt: quod perpetuitatis causa machinata natura est. Deinde, partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae, et in mari et in femina commiscendorum corporum mirae libidines. Cum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese, eoque septum singit animal: quod cum ex utero elapsum excidit, in iis animantibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit; eaque, quae paullo ante nata sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt earumque libertate saturantur. Atque, vt intelligamus, nihil horum esse fortuitum, et haec omnia esse opera prouidae follertiisque naturae; quae multiplices fetus procreant, vt sues, vt canes, his mammorum data est multitudo; quas easdem paucas habent eae bestiae, quae pauca gignunt. Quid dicam? quantus amor bestiarum sit in educandis, custodiendisque iis, quae procreauerunt, vsque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere. „Haec decus Romanae eloquentiae, Cicero.

## LVPVS,

**N**ulli versutia et insidiarum dolo animalium cedens praedo. Tummatim per filias sanguinolentus exercitus ire solet, sed hac cautione, vt eadem omnes vestigia premant, ne multitudinis significatio rusticorum armatam gentem totam in capita cieat. Tum stimulante fame in miseris pecudes longe custode fugato, magna mole ruunt, balantumque sanguine ovium longam rabiem exsaturant totisque dant funera campis. Quos possunt, agnos ad ynum omnes primo impetu iugum.

\*) D. N. D. L. IIe. 5.

12. QVAESTIONVM SCHOLASTICARVM PROBLEMA SECUNDVM.

iugulant et strage demum facta, si licet per dominos pecudis, vnum ex altero comedunt aut secum auferunt. Rarius viuis clausa septa adoritur. Duo plerumque. Vnus accedit, irruptionem minatur: mox, dum gregis custos, canis imminet, terga vertit: quo facto, videns alter, qui in infidiis latebat, custode remoto tuta iam omnia esse, irruit in gregem, atque misere in agnos saeuit. Quod si vero spes hi ansque rictus fallitur, et strenuus pastor mascule resistit, ad fugitiuum solum properat, canemque insectantem et a domino desertum cum ipso deuorat. Equos denique a fronte, tauros, a quorum cornibus sibi metuunt, a tergo adoriuntur. Ex quo intelligitur, sua quoque bestiis esse strategemata, quibus vel depellant illatam ab aliis vim, vel ipsi his inferant.

Propositum fuit nobis, de *Castore* ad extreum exponere, cuius ingenium, maxime in aedificio exstremo, tam sollers, tamque acutum appareat, vt, quantum forma corporis et gesticulationibus simius ad homines accedit, tantum is prudentia et aequare vel callidissimos recte iudicetur. Descripsit vero, mira sermonis suauitate et copia animalis artificia *specaculi naturae* pictor elegantissimus, PLVCHIVS, T. I. Sed iam de scena animalia! Pietati locus dandus est, quam debent p. m. OELHAFIO de nostris illi, qui hoc anno beneficio ipsius, iudicio Ephorum spectatissimorum benignissimo ornati sunt.

IO. DAVID EICHENROHT, Halberst. pinget iuuenem, honorum omnium delicias et amorem, Germ. or.

IO. CAROLVS BACH. nostras, amorem senum erga iuvenes, antiquis exemplis laudabit Latine, maxime vero Oelhafiano spirante post funera in portico nostra. Quem excipiet

AVG. IEREMIAS GEIST, Schwarzburg. demonstratus, quantum poterit, homines, lieris vacantes, omnium maxime gloriae diuinae amplificandae studere debere, qui in alia omnia abeant, tanto peius, quanto liberius, utrique reip. nocere. Dicit vernac.

Quem ritum nobis anniversarium, vt praesentia sua honorifica, Cras, ab hor. pomer. II. PATRONI ac FAVTORES Gymnasi ornare haud graventur, observanter rogamus. P.P. e Gymnas. Hal. a. d. VI JAN. CLOCCCLVII.



DR. G. G. G.

ff3373

ULB Halle  
002 188 97X

3



Sb.

von M.





QVAESTIONVM  
SCHOLASTICARVM  
PROBLEMA SECUNDVM  
QVO  
DE MORIBVS FERARVM  
EXPOSITVR  
ET  
ACTVS ORATORIVS  
A. D. VII. JANVAR. CLXXXVII.  
IN AUDITORIO  
CLASSIS PRIMAË GYMNAS. HAL.  
CELEBRANDVS  
INDICITVR  
A  
M. IOANNE PETRO MILLER  
GYMNAS. RECT.



HALAE MAGDEB.  
FORMIS GEBÄVERIANIS.